

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1569.

PARS TERTIA.

293

te à me commendatus D. Grempio, conditionem apud nos quærit, & ure-  
tur tuo consilio, offerre ne operam suam debeat an securus. Nobis hic gratus  
est, quod virum bonum & candidum esse judicemus, & recte sentientem circa  
dogmata religionis. Reliqua ex D. Fügline, Collega nostro chariss. qui  
vos inviseret, proximis diebus. Bene vale in Christo JESU. Scripsi Basil. die  
24. Augusti. Anno 1569.

T. Sulcerus.

CLXII.

S. D. Clarissime Vir, patrone colende.

Beadissimus proptere*re* me φίλας, ἀνὴρ πολεμού ἐχόντας πάντας βερτόσιν ἀπὸ της φιλοτεχνίας

His magno cum desiderio aliquot menses in deliberationibus de pia con-  
stitutione Ecclesiarum in Austria expectavimus. Tandem verò die 13.  
Augusti Tractatio finita & conclusa est, & de ordine Agendorum in Eccle-  
siis duorum Statuum Austriae, quibus solis potentibus Imperatorem scis Reli-  
gionem liberam permisisse, utriusque partis consensu DEI beneficio conve-  
nit. Nec in literis Imperatoris, quibus ego vocatus sum, quidquam amplius  
petitum est, quam ut Duorum Statuum Austriae, videlicet Baronum & Nobis-  
sium, Ecclesiis pro mea tenuitate servirem. Itaque Liber Agendorum omnes  
Administrationis Ecclesiasticae partes complectens, mediocri diligentia & fide  
delineatus est. Sed illi, quorum censuram liber subiit, & qui cum ordinum  
Deputatis postea contulerunt, doctrinæ explicationes à Rituum descriptione  
sejungi voluerunt. Nudior igitur, quam fortasse oportebat, Agendorum liber  
prodibit, præsertim cum Consistorii etiam instructio, & ratio vocandi & ordi-  
nandi Ministros Ecclesiae, & coetera, quæ ad politiam Ecclesiasticam pertinent,  
avulsa sint. Cum enim ab Episcopis Ordinationem juxta præscriptam formam  
sine impiis obligationibus accipere ministros, eisque obedientiam legitimam,  
quæ etiam in Augustana Confessione defertur, præstare juberent, idque Ordin-  
nes recusarent, & Imp. ad conventum in Ungariam discederer, deliberatio  
illa ad aliud tempus rejecta est.

Sæpe autem inculcatum est, Imperatorem, quod duobus statibus de Reli-  
gione promisisset, id Cæsarea fide velle servare. Promisisse autem duobus  
statibus in eorum arcibus, domibus, oppidis & pagis Doctrinam Augusta-  
næ Confessionis, & ceremonias cum ea congruentes. Id non retractatum iri.  
Itaque & Templum in Urbe Vienna publicum, quod non Senatus Viennen-  
sis, sed duo illi ordines petiverunt, prorsus hoc tempore negatur.

Oo 3

Interea

Interea tamen in plenisque etiam urbibus Cæsareis, Vienna & Neapoli excepta, concionatores pii & moderati in publicis templis tolerantur. Et in ipsa urbe Vienna totos quatuor menses, dum ibi vixi, singulis hebdomadis aliquoties Collega meus, Christophorus Reiterus, palam in nobilium ædibus docuit & Cœnam Domini distribuit. Toto igitur corde pro his initis piæ emendationis Ecclesiarum Filio DEI gratias ago: eumque precor ardenterbus votis, ut hæc exordia clementer provehat & confirmet opus, quod operatus est in Aust. propter Templum sanctum suum. Bene & feliciter vale, Pragæ in Boëmia D. XXIV. ALIGUSTI, ANNO 1569.

David Chyträus.

### CLXIIIL

**S.** Gratiam magnam tibi, vir reverende & charissime frater, babeo pro summa humanitate tua, officiis & beneficiis, quam conferre soles prompte ubertimq; non in eos tantum, quos tibi commendo, sed & reliquos, quos ad me quovis modo spectare intelligis. Declaras ea in re, & singularem erga me benevolentiam & studium fovendi piam ~~aylar nostrarum~~, eo quantum nostra Ecclesiæ profueris, responsum expertus. Nunc verò habes M. Johann. Fueginum, egregium Christi organum, fratrem, Coccio, mihiique, intimum & conjunctissimum, cui libuit T. D. & Ecclesiam invisiere, cum alio ministro juvene: & accessit aliud fortuitum negotium, ob juvenem quendam popularem meum Bernatem patricium, quem sui cupiunt, apud pannicidam virum pietatis spectatae negotiatorem degere, quo id genus negotiationis perdiscat, numeraturi, quod æquum fuerit. Commendo ergo fratrem tibi, ceu meipsum, & per tuos rogo dirigas eum ad aliquem ex veltris, cui commodè juvenem commendare queat; & utinam posset apud Hamererum consilium habere locum. De concordia cum Majore & suis, paucis ad Illyricum rescripsi, cui cum non desint vestra consilia pia & salutaria, non est, ut à me multis doceatur. Evidet veritati, quam profitetur, circa justificationem, nolim quicquam detractum, quod singulare per Lutherum, electum DEI organum, in luce prolata, circa iacturam religionis convelli nequeat, & non injuria metuit vir singulari DEI spiritu prædictus, & usu non vulgari tritus, ne puritas ejus doctrinæ quovis modo inficiatur. Sed & clarissimum virum, D. Jacobum Andreæ, eodem spectare nihil dubito, nec recusaturum magis perspicue explicare quædam, si requiratur: ut in eam convertatur formulam, quæ sit scripturæ conformis & Ecclesiæ salutaris. Quæ nova sint ex Gallia, ex iis cognosces, quæ adieci. Bene vale